



IN OBITU
SERENISSIMORUM PRINCIPUM
LVDOVICI BORBONII,
ET
MARIÆ ADELÆIDÆ
SABAUDÆ, E BURGUNDIÆ DUCIBUS,
Galliarum Delphinum.

Fronti tumuli.

D. O. M.

Viator adsta, tametsi properes,
In rem quod sit tuam, mirum quantum addisces.
Hocce iacent sarcophago
Orba lumine orbis lumina.
Marcent!

Pretiores iuventæ flores præcoces
Alterius triplex decas, ennas alterius triplex.
Pignoribus!

Quimo, Bimo, sublato, superstite.
Clauduntur brevi!

Queis fat terrarum, orbis non clauderet,
Vel vno destituti sceptro, innumeris nedum distinendi.

LU-

LUDOVICUS BORBONIUS
E Burgundiæ Duce Galliarum Delphin:

MARIA ADELÆIDA

Sabaudia Ducis filia

Eius coniux lectissima, optima, desideratissima.

Queis religio, & fides antiqua

Patria, gentilitio sceptro longè antiquior.

Perpetuas Maiorum Virtutem, Pietatem emulati;

Uberiores multò posteris largiti,

Eheu!

Uno ferme ictu occiderunt spes nostræ

Alio alium brevi confecuto:

Ille xiiij. Kal. Mart. Hæc prid. idus Febr. ineuntis anni.

Quod eorum reliquum

Hic nobis iacet, hic conditur:

Imò

Nec iacent, nec conduntur

Qui fato demortui, fide degunt in præcordijs

Spirant, spirabuntque æternum

Avo, Fratre Regibus: Sorore, Patre Regibus.

Quid?

Galliæ, Iberiæ, Europæ, Orbi

Extinctos, inextinctos, luctus, laus servabit perpes.

SALMANTICENSIS ACADEMIA

anno

M.DCC.XIJ.

M. H. M. P.

Alteri

Alteri tumuli lateri.

Delphinus iacet hic, iacet hic Adelæida coniux,
Stante sub hoc tumulo perpete coniugio.
Illum Borbonium, fert istam stemma Sabaudum,
Quos tam multa tulit, nunc humus arcta capit.
Iure superstes amor cinerem coniunxit in vnum:
Est veritus ne non orbis eos caperet.

Alteri lateri.

Delphines Genitor, Genitusque, Neposque fuere:
Ex his quos rapuit mors sumus in medio.
Magnus Avus, minimusque Nepos extrema supersunt:
Ex his queis parsit mors sumus in medio.
Contigit & medium natos, mediumque peremptos:
Perdedit hei! robur Gallia, corque suum.

D. O. M.

Hoc sub marmore condimur viator
Confortes Lodoicus, & Maria
Nati Borbonio patre, & Sabaudo,
Spes, & delitiæ Paternæ, Avitæ,
In quos ius cecidisset omne regni.
Sed ne perpetua hæc foret voluptas
Hei ! mors invida sustulit Parentem
Vota in quo sita cuncta Galliarum.
Verum ne hîc animum explet infidelem;
Non multò quoque post rapit iuventam
Primam ter decadem, ennademque nostri:
Una depopulata pene plaga
Et nos, & sobolem feraciorem,
Nam vix sex comitem sequor diebus.
Unum te hoc monitum lubet viator
Pro tanto excidio : Deum precare
Det nos luce frui beatiore
Quæ non occidit, vnde mors, pericla,
Et duri procul exulant labores:
Concedat soboli simul secundam
Vitam, Nestoriaque longiorem.

Ode Sacelli Divi Hieronimi foribus imposita.

Quæ sit solliciti forcipis Atropos,
Concussæ assiduo vulnere Galliaë,
Et planctus comitis iugis Iberiaë

Audax meta licentiæ?

Tolli nonne satis spes, cui credita
Nostrium tota Patris, quod regeret suos
Utrobique, sed & quod deerat rapis

Primam progeniem invida?

Ergo Lodoicum perpetuus premit
Somnus ! cui Pietas, Mars, Pudor, & Fides
Quando vllum inveniēt aut similem, aut parem?

Fas ah non erit vspiam!

Nobis ille quidem flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam tibi Gallia;
At frustra petimus non ita creditum

Reddi Lodoicum ab Dijs,

Quorum dediderit mors semel horrida
Mentes spiritibus, corpora vermibus.

Hoc vnum superest, lenis vt adjici

Concedat Superis Deus,

Et donet populos vsque superstitie

Quæ restat soboles, vt redeat novus

Ultus non meritas ære perennior

Rex Quartus Decimus neces.

Hinc

Hinc inde in atrio.

Viderat Elyfios Burgundum Pluto per agros
Ire Ducem, & regno ponere iura suo.
Nunc mihi vel Decimum Ludovicum objice Quartum
Iupiter, & Franci praelia Martis, ait.
Si Reges Ducibus præfers, genium aspice vtrumque:
Terra illum dicas, hunc tamen igne fatum.

Aliud.

Iusserat in Charites pro Parcis Iupiter, orco
Ut Pater, & Genitus præda Neposque forent.
Ad patrem redeunt querulæ, lachrymisque petessunt,
Burgundi ut saltem vita supersit eis.
Iupiter at gnatis: semel est sententia lata:
Nil reliqui ad Parcas: quæstio tota in eo est.

Inferijs, quas Salmanticensis Academia postridie
Nonas Iunias anni M.DCC.XIJ. allatura erat, scribe-
bat Salmanticæ Academiæ matri dicto audiens

Doct. D. Matthias Chafreon.

Valentiæ: Typis Antonij Bordazar.

im

t,

lie
e-

